

(2) *Corone Quantitatem*, (3) *Corone Qualitatem*, prout **Emphatica** Spiritus Sancti verba, quorum unum quodlibet maxime ponderosum, luculenter ostendunt.

26. *Quidditas Corone* demonstratur ipsa *Coronæ* voce, quia nomina sunt rerū *signa, symbola, vehicula, vel involucria*, & dici requirit inesse: dum nomen est *materiale*, res significata nomine *formale* dicitur. De *Coronis* integri libri passim conscripti prostant. *Varia* dici possent de *Coronarum ortu*, de *vario statu*, de *vario usu* &c. Dantur *Corona* in *statu Ecclesiastico*, dantur in *Politico*, dantur in *Oeconomico*: Dantur *Corona* tum in *Regno potentia*, tum in *Regno Gratia*, tum in *Regno Glorie*: Dantur *Corona*, ratione *materia*, maxime *distinctæ*, tum *auræ*, tum *argenteæ*, tum *cupræ*, tum *stannæ*, vel *alius metalli*: Dantur etiam ex *alia quavis materia*: Dantur *Corona proprie* sic dictæ, quæ sunt *operimenta*, vel *ornamenta capitis*, dantur etiam *improprie acceptæ*, quales sunt *corona anni*, Psal. XV, 12. *Corona domus* seu *viri*, sicut *mulier diligens* dicitur *corona viri sui*, Prov. XII, 14. *Corona Sapientum*, Cap. XIV, 14. *Corona sapientum divitiæ ejus*: *Corona senectutis*, Cap. XVI, 30. *Corona dignitatis caritatis*, quæ in *vitis justitiæ* reperitur, *Corona senum filii filiorum*, & *gloria filiorum patres eorum* cap. XVII, 6. &c.

27. Hoc loco pulcherrimas, & consolatione plenissimas meditationes respicere, vel introducere possemus, siquidem fidelibus *Ecclesia Ministris* hic tribuere possemus *coronas* variis respectibus: Tales sunt. (1) *Corona nativæ*, quia sunt ex *Deo nati*, Job. 1, 13. 1. Job. III, 8. tanquam *filii Dei*, vereq; *coronis destinati*, vel ad *coronas nati*. (2) *Corona vitæ*, Apoc. II, 10. dum in *Christo* sunt *vita donati*, non tam ad *vitam naturalem*, quam ad *vitam spiritualem*, ut *spirituales reges*, Apoc. I, 6. ad *vitam cælestem*, quam *Christus* l. d. potissimum respicit. (3) *Corona gratiæ*, quia *Deus gratia* sua ministros constantes *instar scuti coronat*. Pf. V. ult. (4) *Corona justitiæ*, quæ vere per *Christum* ornantur, dum ipse *factus illis justitia*, 1. Cor. I, 30. (5) *Corona gloriæ*, quæ per *Apostolum Petrum* illis assignantur. (2) Non ad *coronas metallicas*, ex *auro* vel *argento*, vel *alio metallo* confectas, quæ *singulæ caducæ* sunt,

C 2

sunt,